



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Illvstrivm Scriptorvm Religionis Societatis Iesv Catalogvs**

**Ribadeneyra, Pedro de**

**Antverpiæ, M. DC. VIII.**

A.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68452](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-68452)

prehensione, vt non humana doctrina, sed diuinitus infusa videatur. Scripsit præterea *Epistolam de Religiosa obedientia*, ad Lusitanæ Socios ac filios, tam perfectam & omnibus expletam numeris, vt omnium præceptionum instar sit, quæ de obedientia traduntur. Obiit vir sanctissimus Romæ, pridie Kal. Augusti, Anno salutis M. D. LVI. ætatis LXV. confirmati à Sede Apostolica Ordinis XVI.

**A**CHILLES GAGLIARDVS patria Patauinus, vnâ cum Leonetto & Ludouico germanis fratribus, maximus ipse natu, ad vexillum CHRISTI conuolauit, nostramque SOCIETATEM ingressus est anno salutis millesimo quingentesimo sexagesimo, cum ætate, nobilitate, humanarum litterarum cognitione floreret, & in Academia Patauina magnam sui expectationem excitasset: grauiores deinceps disciplinas, Philosophicas nimirum, & Diuinas excoluit, atque etiam explicauit nostro in Romano Collegio, acutè ac pereruditè; insignisque & Philosophus & Theologus est habitus. Tum Roma Superiorum iussu Mediolanum commigravit, vbi sacram item Theologiam interpretatus est: domusque Professorum sancti Fidelis curam suscepit; quam, vt & domum Professorum Venetam, laudabiliter administravit. Scripsit hæcenus

*Catechismum* Italicè, hortatu B. Caroli Borromæi Cardinalis Tit. sanctæ Praxedis Mediolanensis Archiepiscopi. Scripsit etiam Latinè librum

*De disciplina hominis interioris*, in quo & Iustificationem hominis à peccato, & tentationes, atque mili-

militiam iustorum, & progressum in gratia, & habituum malorum extirpationem, & mortificationem vitiosorum affectuum diligenter persequitur: quæ omnia ad *Viam* pertinent *purgatiuam*. Præterea omnium virtutum tractationem complectitur, quæ ad *Viam* spectant *illuminatiuam*: denique illa etiam exactè explicat, quæ *Via*, vt dicitur, *unitiua* seu *mystica* propria sunt.

ADAMVS TANERVS, natione Germanus, patria Oenopontanus. Scripsit,

*De Verbo Dei scripto & non scripto, &, De Iudice controuersiarum fidei.*

*De bonorum operũ necessitate, utilitate, & meritis.*

*Relationem compendiariam de initiis, processu & fine colloquij Ratisponensis, habiti anno Salutis 1602. inter Catholicos Theologos, & Ministros hæreticos, oppositam vanis rumoribus, qui de hac ipsa re, opera & studio hæreticorum passim in vulgus sparsi sunt. Item,*

*Aduersus Agidij Hunnij calumnias. &*

*Defensionem Ecclesiasticæ libertatis cõtra Venetos.*

ADRIANVS ADRIANI, natione Belga, patria Antuerpiensis, vir valdè religiosus ac pius, qui Louanij antequam Societas haberet Collegium, nostrorum curam per multos annos administrauit, & sanctè vitam finiuit ipso Festo S. Luce, anno MDLXXXI. totius Academiae Louaniensis humeris elatus. Scripsit Flandricè,

*In orationem Dominicam, & libellum pium qui Mons spiritualis appellatur.*

Item tres tractatus omnibus Ecclesiasticis & secularibus perutiles, quorũ primus est *De vita actiua*, secundus *De bonis temporalibus*, & ipso corpore

mortali hominis, tertius *De operibus misericordie.*

Item libellum *De confessione.* &

*De inspiratione seu interna locutione Dei.* Qui duo Latinè, interprete G. Brunefio, Coloniae exierunt.

*De origine & progressu vite monastica.*

*De obedientia,* & quomodo subditus se gerere debeat erga Prælatum, & Prælatus erga subditum.

*De paupertate Evangelica.*

*De semel in anno, sæpiùs, & quotidie communicando,* & *de meritoria abstinentia à sacra communione.*

ADRIANVS BRVNVS natione Gallus, scripsit

*Relaxationem spiritus,* rythmis Gallicis in gratiam castæ poëseos studiosorum, & iuuentutis Catechismo informandæ.

ADRIANVS IUNGIVS natione Polonus, patria Plonscensis, florente adhuc ætate, anno salutis M. D. LXXII. mundo nuntium remisit, & nostræ se Societati addixit, in qua cum pietate suiq̃ue victoria egregiam eruditionem coniunxit. est enim helluo librorum, & in legendo scribendoq̃ue assiduus, & concionandi peritus artifex. Scripsit hæctenus,

*Artes & imposturas noui Euangelij Magistrorum.*

*Confutationem Epistolæ Ioannis Capij Pseudoministri,* primùm Lutherani, deinde Picarditæ seu Calviniani, ac demùm Anabaptistæ Samofateniani, in qua potissimùm *De transubstantiatione panis & vini in Eucharistia sacramento & adoratione,* doctrina Catholica propugnatur, & vsus huius Sacramenti sub vna specie defenditur.

*Refutationem libelli aduersus Ministromachiam Stanislai Rescij,* à quodam Guiljelmo Oximensi scripti.

*Synopsis*

*Synopsis noui Euangelij*, seu doctrinam, de moribus, fructibus, characteribus, & horrendis atq; implacabilibus diffidiis Sectariorum huius temporis lib. 3. & hæc quidem Latine. Polonicè verò:

*Quinquaginta duarum questionum à Pseudoangelicis ministris in Polonia Iesuitis propositarum Analysis*, seu resolutionem in duas partes vel libros distinctam; in quorum priore centum quinquaginta sex luculenta illorum in eisdem questionibus mendacia, in posteriore antiquitas Catholicæ religionis demonstratur. Huic operi accessit *Refutatio libelli cuiusdam Calviniani aduersus sacras imagines*.

ADRIANVS DE WITTE, aliàs CANDIDVS, natione Belga, patria Antuerpiensis, vir non minus re quam nomine candidus, & cum aliis omnibus virtutibus ornatus, tum maximè morum suauitate amabilis. Scripsit,

Libellum qui inscribitur *Traiectus in calum*, seu, *Spiritale incundum monasteriolum*, quem P. Adrianus Adriani post mortem Auctoris euulgauit.

ÆGIDIUS GONZALEZ DAVILA, natione Hispanus, patria Toletanus, in opido Burojon natus est anno salutis M. D. XXXII. Eius mater cum Ægidium gestaret, visa sibi videre est ex vtero suo lucis radios erumpere, & circumquaque diffundi: quod cum marito retulisset, ille, qui insignis erat medicus & Astrologus, filium quem paritura erat, multorum filiorum patrem fore prædixit, idque rei probauit euentus. Adolescens enim imberbis adhuc, & decem atque octo dumtaxat annorum, cum literis nauaret operam Compluti, Societati se nostræ dedicauit, anno salutis M. D. LI. in qua vixit laudabiliter, vsque ad annum M. D. XCVI. ineunte, quo vix-

dum sexagesimum quartum ætatis ingressus, nostræ mortalitatis exuium Madriti reliquit xv. Ianuarij, non sine magno nostrorum atque alienorum dolore. Fuit enim vir, in quo nescias quid primùm admirere, ingeniumne, an morum suauitatem; eruditionem, an vitæ sanctimoniam; prudentiam in gubernando, an modestiam atque affabilitatem; asperitatem in se pœnitentiæ, an consuetudinis cū aliis iucunditatem. Sed cū ingenuis artibus omnibus excultus esset *ÆGIDIVS*, tum verò excellenti Antiquitatis obseruatione ac memoria pollebat. Religionum omnium sacrarum Regulas, Statuta, Constitutiones perlegerat, & habebat in promptu: Concilia omnia memoria tenebat: sacra summorū Pontificum Decreta ad vnguem nouerat: exquisitas ac minimè vulgares Patrum sententias cū paucis callebat, eorumque volumina diurna nocturnaq; manu versabat, si quando à grauioribus occupationibus esset otiosus. quod rarè ei contigit; nam vix à carceribus ad studiorum metam peruenerat, cū obedientiæ iussu coactus est studia intermittere, & gubernandi in se onus suscipere. In prouinciis enim Castellæ, Toleti, Baticæ atque Aragoniæ, tum Prouincialis tum Visitatoris munere functus est: Assistentis etiam apud P. Euerardum Mercurianū Præpositum Generalem: ad quod genus officij absens electus est ab vniuersa Cōgregatione generali, cū captus *ÆGIDIVS* ab hæreticis in Gallia teneretur, in quorum manus ac furorem Romam ad Congregationem generalē proficiscens inciderat, & tam grauius fuerat vulneratus, vt parum abesset ab extremo periculo. Atque vt paucis multa dicam, plurimum *ÆGIDI* religio, industria, doctrina, ac prudentia,

dentia, ad conseruationem atque propagationem contulit Societatis. Scripsit, sed non edidit,

*Præclaras In librum exercitiorum spiritualium B. P. nostri IGNATII Annotationes.*

*Item Explicationes nostrarum Regularum valde eruditæ & religiosas.*

*Instituti Societatis tum declarationem tum confirmationem.*

*Concilia generalia omnia exactè in Locos cõmunes redegit.*

ÆGIDIUS SCHONDONCHVS, natione Belga, patria Brugensis, Duacensi in Academia publicè professor, vertit studiorum Antuerpiæ præfectus,

*Sicam Tragicam soluta numeris oratione, ex Apologia P. Franc. Costeri aduersus calumnias Lugdunensium Batauorum in Societatem.*

Meditatur opus ingens, magnæque expectationis, *Admirandorum sæculi vnius.*

ALPHONSUS DEZA, natione Hispanus, patria Complutensis, Theologorum Scholasticorum nostro sæculo lumen: cum summa apud omnes esset expectatione, multaque excellentis ingenij in Academia Complutensi dedisset argumenta, spes omnes sæculi abrupit, & *herentis* (vt D. Hieronymi verbis utar) *in salo nauicula funem magis præcidit quàm soluit, seque totum in securissimum Religionis portum intulit, nosterque factus est, anno salutis M. D. LVIII.* Porro eadem in Complutensi Academia, viginti & eo ampliùs annos sacrâ Theologiam professus est: ac D. Thomam Aquinatem explanauit, tanto ingenio, iudicio, perspicuitate, argumentorum pondere, vt omnium sapientium sententia nulli Theologorum secundus videretur. Erat enim Diui

Thomæ sententiæ curiosus indagator, illustris interpres, acerrimus propugnator. Sed in ALPHONSO DEZA tam excellens eminebat Religio, tanta se efferebat atque omnes in partes effundebat virtus, vt in illo cum summo ingenio perfecta humilitas, cum perspicacissimo intellectu incensus certaret affectus; cum singulari doctrina admirabilis obedientia, & cum exquisita prudentia coniuncta esset sancta columbæ simplicitas. Denique cum illū omnes suspicerent, laudarent, in oculis ferrent; ipse solus se despiciebat, pro nihilo reputabat, omnium se pedibus subiiciebat. Quocirca & viuus tamquam doctrinæ & vitæ magister ab omnibus, etiam Magistris & Præceptoribus, habitus atque cultus est; & mortuus, ceu parens quidam deservit ab vniuersa Academia Complutensi anno salutis M. D. LXXXIX. quo vitam cum morte cōmutauit. Obiit XXIII. Ianuarij Toleti, cum Professæ domus nostræ gubernationem Præpositus sustineret, ac prudenter administraret, annum sexagesimum nondum ingressus. Quem in Catalogo nostrorum Scriptorum pono; quoniam, etsi eius scripta nondum exierunt in lucem, multos tamen reliquit discipulos & scriptores, qui campos suos ex illius fontibus irrigarunt; & ab ALPHONSO DEZA sapienter tradita, luculenter ipsi atque eleganter posteritati commendarunt. Extant ex DEZÆ Latina interpretatione Francisci Borgia Gandiæ Ducis pia opuscula.

ALPHONSVS MONTOYA, natione Hispanus, patria Ocaniensis, Diœcesis Toletanæ, annos natus viginti, Compluti Societatem nostram experiuir, & admissus est XIV. mēsis Maij, anno salutis M. D. LVI. Qui postquam ad nostri instituti normam fuit eruditus,

ditus, & omnibus disciplinis Theologo dignis ex-  
 politus, Burgis Logicam Philosophiamque Aristot-  
 telis professus est. Vir fuit per omnia moderatus at-  
 que excellenter doctus, sed in ea potissimum Theo-  
 logiæ parte, quæ in consultatione de moribus, &  
 cōscientiæ quæstionibus extricandis versatur, quam  
 & Murciae & Madriti cum laude docuit. Qui post-  
 quam Collegiorum Placentini & Complutensis  
 Rectoris munus obierat, Præpositus prouinciæ Ca-  
 stellæ factus Vice-prouincialis, in Collegio Sal-  
 manticensi sanctè animam Deo reddidit, anno sa-  
 lutis M. D. XC. ætatis verò 54. Reliquit,

*De votis Societatis insignem tractatum, in quo &*  
*Religiosorum votorum naturam enucleatè aperit,*  
*& contraria argumenta acutè refellit.*

ALPHONSVS PISANVS, natione Hispanus, patria  
 Toletanus, Philosophicis disciplinis excultus, ac  
 Medicinæ sciens, nostram complexus est Societa-  
 tem. Postea verò Romam anno salutis M. D. LIII.  
 venit, vbi Aristotelem præclare est interpretatus:  
 inde in Germaniam missus, in Ingolstadiensi ac Di-  
 lingenfi Academiis sacram Theologiam docuit; &  
 in Poloniam profectus est, vbi strenuam operam  
 Catholicæ Ecclesiæ nauans, aduersus nouatores he-  
 reticos, illam labefactare conantes, scripsit,

*Acta & Canones sacrosancti primi Oecumenici Con-*  
*cilij Nicani, appositis sanctorum Patrum testimo-*  
*niis, ad eorundem Canonum commendationem*  
*& interpretationem pertinentibus; addita etiam re-*  
*sponsione ad Capita Humonis Chies.*

Scripsit præterea *De continentia ac calibatu Apo-*  
*stolico, de Ieiunio* etiam; varios item atque eruditos  
*Tractatus de quæstionibus fidei controuersis, quos ex*

ſuis lectionibus collegit, & tamquam Theſes quafdam auditoribus diſputandas propoſuit.

Tandem legendi ſcribendique laboribus confectus, in ſenectute bona tranſlatus eſt ad meliorem vitam, anno ſalutis M. D. XCVII.

ALPHONSVS SALMERON, natione Hiſpanus, patria Toletanus, à puero ad extremam ſenectutē omnem in litteris ætatem conſumpſit. In Complutenſi Academia paruulus Latinam Græcamque linguas exactè didicit: inde in Academiam Pariſienſem profectus, Philoſophicas ac Theologicas diſciplinas diligenter excoluit; omniumq; Sociorum natu minimus, ſeſe ad B. P. noſtrum IGNATIVM ſocium adiunxit. Poſtea verò etate iam confirmatus, ac rerum cognitione auctus, vitæ ſuæ curſum feliciffimè tenuit. Maximas atque celeberrimas totius Italiae ciuitates cōcionibus ac ſacris lectionibus illuſtrauit; plurimas ac laborioſas peregrinationes Dei cauſa ſuſcepit. In ſuperiorem & inferiorem Germaniam, in Poloniam item, & Galliam, à ſummis Pontificibus miſſus eſt: in Hibernia etiam Nunciij Apoſtolicij munere functus. Synodo Tridentinae ſub Paulo III. ſub Iulio item III. ac ſub Pio IIII. ſedis Apoſtolicæ nomine interfuit, in qua & *Orationem* habuit *de ſancto Ioanne Euangelifta* pereruditam, & vt illorum Pontificum Theologus, maxima cum eruditionis opinione, & audiētium admiratione, ſententias dixit. Hæreticorum perpetuus hoſtis, quos diſputationibus, lectionibus, ac ſcriptis ſemper exagitauiſt ac fregit; Catholicæ fidei vbique propugnator acerrimus. Poſtremò, cū viribus exhaustus voce nō poſſet, ſtylo Dei Eccleſiæ prodeſſe non deſtitit, ſeſeque totum ad ſcribendum contulit; Collegium-

legiumque Neapolitanum ad eam rem elegit, quod ipse fundauerat, auxerat, ornauerat; & nobilissimam ciuitatem Neapolitanam, scintillis errorum sensim hæreticorum fraude excitatis, eiusque opera oppressis atque extinctis, imminentis pestis calamitate ac periculo liberauerat, illamque Societatis Prouinciam primus Præpositus Prouincialis administrauerat. Obiit Neapoli sapientissimus Pater, magno totius ciuitatis mœrore, Idib. Februarij, anno à Christo nato M. D. XCV. Vixit annos LXIX. menses quinque, dies quinque, ut in eius vita diximus: quã breuiter perstrinximus, & cum vita P. Iacobi Laynez secundi Præpositi Generalis coniunximus, Latinamque fecit And. Schottus. Scripsit,

*In Euangelia Tomos undecim, quorũ diuisio est:*

*Prolegomenon in uniuersam Scripturam. Tom. 1.*

*De incarnatione Verbi. Tom. 1.*

*De infantia & pueritia Christi. Tom. 1.*

*De Historia Euangelica. Tom. 1.*

*De sermone Domini in monte. Tom. 1.*

*De Christi miraculis. Tom. 1.*

*De Parabolis. Tom. 1.*

*De disputationibus Domini. Tom. 1.*

*De Sacrosancta Eucharistia & sermone Domini in cena. Tom. 1.*

*De Passione & morte Domini. Tom. 1.*

*De Resurrectione & Ascensione Domini. Tom. 1.*

*Item Commentariorum in Acta Apostolorum. Tom. 1.*

*Prolegomenon in Epistolas Pauli, & Commentariorum in Epistolam ad Rom. Tom. 1.*

*In utramque Epistolam ad Corinth. & in Epist. ad Galatas, Ephes. Philipp. Coloss. Thessal. Tom. 1.*

*In utramque Epistolam ad Timotheum, ad Titum, & Philemonem, & in Epist. ad Hebræos. Tom. I.*

*In septem Epistolas Canonicas. Tom. I.*

*Præterea Præudia in Apocalypsim.*

*Epistolas ad diuersos multas & varias.*

Hæc omnia in XVI. Tomos distributa typis mandata sunt Mantuæ Carpetanorum, prælo Ludouici Sanchez, finisque impositus anno salutis M. DC. II. & Coloniae typis Gymnici M. DC. IIII.

Præter hæc scripsit P. Alphonfus Salmeron *in Decem priora capita lib. Geneseos*, & multa alia controuersa contra hæreticos, sed præcipuè *De Indulgentiis, & De Purgatorio.* quæ tamen in lucem nondum prodierunt.

ALEXANDER VALIGNANVS, natione Italus, patria Teramnensis, insigni corporis proceritate, ætate florens, Iurisprudentiæ scientia instructus, Cardinalis Altemps Auditor, Societatem nostram expetiuit Romæ, anno salutis M. D. LXVI. in eamque à P. Francisco Borgia Præposito Generali (me præsentente) magnis precibus se admitti postulauit. Admissus est, probatus, & ad nostrum institutum conformatus, ac Theologicis litteris excultus, anno nostræ salutis M. D. LXXIII. à P. Euerardo Mercuriano (qui in generalatu P. Francisco Borgiæ successerat) in orientis solis Indiam missus est, ut Visitatoris munus in remotissimis illis Prouinciis obiret: ubi in hunc usque diem perseuerat, magna nostrorum utilitate, populorum admiratione ac fructu, & Christianæ fidei propagatione. Perlustrauit namque Iaponenses Insulas, Chinam attingit; & totum illum longissimæ nauigationis tractum, qui inter Goam & Malacam interiacer, & Visitator & Præpositus

positus Prouincialis sæpenumerò peragrauit. Scripsit hæcenus,

*Præclaros Commentarios ad Iaponios, ceterasque India nationes Christianæ fidei mysteriis imbuendas.*

*Item Apologiam pro Societate IESV.*

ANDREAS EVDÆMO IOANNIS, natione Græcus, patria Cydonius, Romæ Philosophiam publicè professus est, linguę vtriusq; iuxta peritus, ac Theologus egregius, summa & ingenij acrimonia & iudicij præstantia præditus, edidit,

*Castigationem Lamberti Danei, Caluiniani Ministri, pro Bellarmini Card. Controuersis.*

ANDREAS FRVSIYS, natione Gallus, patria Parisiensis, cum matura iam esset ætate, atque encyclopædiam siue omnium disciplinarum orbem absoluisset, Romæ anno salutis M. D. XLI. Societatem nostram amplexus est. Vir fuit non minùs vitę probitate, quàm doctrinæ laude spectatissimus, Latinæ, Græcæ, atque Hebraicæ linguæ peritissimus, Medicinæ, Iurisprudentiæ, Theologiæ cognitione insignis, Mathematicis scientiis instructus, præstans Musicus, præclarus Orator, Poëta summus: Versus ex tempore fundebat elegantes, doctos ac peracutos, de quocumque proposito argumento; multaq; succisuis horis, velut aliud agens, oratione astricta numeris composuit, in quibus maximum elucet ingenium, & mira eruditio. In iis *Echo* est benè proluxa, ac supra mille versuum, *De Ecclesiæ calamitatibus* admiranda. Edidit,

*Theses collectas ex interpretatione libri Genesios, quem Romæ exposuit in Collegio Societatis IESV.*

*Affertiones item Theologicas tum ad primam partem*

tem

tem D. Thomæ Aquinatis spectantes, tum verò ad omnes libros veteris ac noui Testamenti.

Prodierunt etiam in lucem, arguta & docta eius in Hæreticos *Epigrammata*, typis excusa Coloniae apud Godofridum Campensem anno salutis M. D. LXXXI I. & apud Ioach. Trognesium Antuerpiæ.

*De copia item verborum & rerum* versibus scripsit, tacito tamen nomine. Multa ex Græca lingua in Latinam transtulit. Poëtas nonnullos Ethnicos lasciuos, in his Martiale repurgauit, vt legi ab adolescentibus sine noxa possint. Multorum collegiorum Rector fuit, denique anno salutis M. D. LVI. è carnis mortalis ergastulo ad cælestem patriam commigrauit, Romæ.

ANDREAS SCHOTTYS, natione Belga, domo Antuerpia, natus anno salutis M. D. LIII. ætatis xxxii. sacris iam Cæsaraugustæ initiatus, decursisque studiorum spatiis, Artium magister, & iustratis Academiis, Louaniensi, Parisiensi, Complutensi, ac Salamantina, Societati nostræ adscribi, quò Deo militaret, sponte postulauit, voti reus pro salute patriæ concepti; ingressusque postridie Non. Aprilis, ipso Paschatis festo, quod transitum Hebræis significat, anno Verbi incarnati M. D. LXXXVI. ex ædibus Antonij Augustini Archiepiscopi Tarraconensis, qui insequenti mense extremo vita decedens, in beatorum sedes commigrauit. SCHOTTYS iam Toleti triennio Græcas litteras professus erat, hinc Cæsaraugustam honoris gratia euocatur, postea Tarraconem: tirocinium, sæculo valere iussu, posuit Cæsaraugustæ, ac Valentia Edetanorum sacra studia tractauit, docuitque Socios Gandiæ ac Romæ triennium post Franc. Bencium. Scripsit hæctenus,

Com-

*Commentarium in Auctorem de Viris illustribus  
urbis Roma.*

*Notas in Aurelium Victorem, à se erutum, eiusq;  
Epitomen.*

*In Corn. Nepotem, seu Aemilium Probum De  
Gracia Imperatoribus.*

*In Pomponium Melam De situ orbis.*

*Procli Chrestomathiam de Poëtica, è Græco Lati-  
nam fecit, ac Scholiis illustravit.*

*Photij item Constantinopolitani Bibliothecam La-  
tinè reddidit.*

*Vitas comparatas Aristotelis ac Demosthenis, per  
Olympiadas ac Prætores conscripsit.*

*Vitam item Jacobi Laynez, ac Franc. Borgia, Ge-  
neralium Societatis Præpositorum, ex Hispanicis  
P. Ribadeneiræ Latinè dedit.*

*Laudationem funebrem in obitum Ant. Augu-  
stini v. c. l.*

*Notas item vberiores in Seneca Rhetoris Suaso-  
rias & Controuersias, expletis Græcis lacunis.*

Plurima Græcè Latineque è tenebris eruit, aliâ-  
que meditatur, dum viuit valetque.

ANDREAS VALLADERIVS, natione Gallus, pa-  
tria Parisiensis, Latinè reddidit *Expostulationem  
Apologeticam Lud. Richeomi*, ad Henricum IIII.  
Regem Gallia, pro Societate, contra famosos libel-  
los inscriptos *Ingenua & vera oratio, & Catechismus  
Iesuitarum*.

ANNIBAL CODRETTVS, natione Allobrox, siue  
Sabaudus, anno, ni fallor, salutis M. D. XLVI. Pa-  
tauij (vbi ego illum docentem cognoui) dum arti  
Medicinæ operam daret, Societati se nostræ addi-  
xit: postea humaniores litteras (quarum cognitione  
excel-

excelluit) multis in Collegiis nostris laudabiliter docuit: Prouincialis præterea Aquitaniæ Prouinciæ factus, multum laboris atq; operæ posuit in tuenda conseruandaq; Catholica religione. Scripsit

*Grammaticas institutiones: & ætate in senectutem præcipitata, obiit in Domino.*

ANNIBAL FIRMANVS, natione Italus, patria Fanensis, vir iam maturus institutum nostrum secutus est: & quamuis aduersa valetudine semper conflatus, aliquorum Collegiorum tamen Rector fuit; & scripsit Italicè,

*De iucunditate anime opus elegans, & alterum ad Vrbinatem Ducem, De vera animi magnitudine.*

ANTONIVS D'AUEROVLT, natione Belga, agri Atrebatensis, sacris iam initiatus, decursisque studiorum spatiis, Societati aggregari exoptauit: voti que compos, scripsit Gallicè primùm,

*Catechismum historicum, seu, vt ipse vocat, Flores exemplorum Christianæ doctrinæ accommodatos, ex S S. Patribus, Ecclesiasticaque historia, Tomis II. Duaci & Parisiis editos; meditaturq; nunc Latinè euulgare.*

ANTONIVS FOLCARIVS, ex oppido Sancti Spiritus, quod est in Comitatu Niceæ, prope Prouinciam. Scripsit Italicè,

*Vitam Sereniss. Eleonore Archiducissæ Austriae, Ducissæ Mantuæ.*

ANTONIVS MARIA PARENTVCELLVS, natione Italus, patria Sarzanensis, adolescens Christum nostra in Societate secutus est: ac postquam bonarum artium cognitione pectus compleuit, ter curriculum Philosophicum docendo confecit, magna nominis celebritate, mortuus est Romæ anno ata-

tis

tis supra quadragesimum. Reliquit in *Aristotelem* *Commentaria*, quæ ab eruditis valdè probantur.

ANTONIUS POSSEVINVS, natione Italus, patria Mantuanus, ætate maturus, & humanioribus litteris perpolitus, omnibus spretis emolumentis (quæ propter egregium ingenium, linguarum cognitionem, atque hominis industriam, & multa illi & magna proponebantur) Societatem nostram complexus est anno salutis M. D. LX. Postea varias prouincias & regiones perlustrauit, multas ac periculosas peregrinationes Religionis causa suscepit: in Galliis permultum hæreticis grassantibus restitit: in Sueciam, Poloniam, Moscouiam, à summis Pontificibus missus est, magnisque laboribus, magna & difficilia cum summis Principibus negotia Sedis Apostolicæ nomine transegit. Scripsit hætenus,

*Bibliothecam selectam* de ratione studiorum, ad omnes disciplinas, & ad salutem cunctarum gentium procurandam, xvii. libris comprehensam.

*Apparatum sacrum*: in quo de scriptoribus, interpretibus, ac versionibus veteris & noui Testamenti, de Synodis item ac Patribus Græcis ac Latinis agit: & multiplicem variamque eruditionem Ecclesiasticam persequitur.

*Notas diuini Verbi & Apostolica Ecclesia, fidei ac faciei*, aduersus responsum cuiusdam Dauidis Chytræi.

*Commentarios Moscouia.*

*De atheismis hæreticorum huius sæculi.*

*Indicium de quattuor Scriptoribus, scilicet, de Philippo Nua, Ioanne Bodino, Philippo Mornæo, & Nicolao Machianello.*

*Theologiam Catechetica* ad domesticos fidei instituen-

stituendos, vbi de pueris, & eorum scholis, ac Car-  
rechismum tradendi ratione agitur.

*Epistolam ad Stephanum Battorum, Poloniae  
Regem, aduersus Andream Volanum Lituannum,  
haereticum.*

*Epistolam de rebus Sueticis, Liuonicis, Mosconiti-  
cis, Polonicis, Transiluanicis.*

*Orationem habitam in funere Leonora Austriae,  
Mantuae Ducis.*

*Vitam & mortem Ludonici Gonzage, Ducis Ni-  
uernensis.*

*Sermonem habitum in Prouinciali Synodo A-  
quilegiensi. Et haec quidem Latine. Italicè verò,*

*De sanctissimo sacrificio Missae, à tempore Apосто-  
lorum celebrato, & ad consummationem seculi ce-  
lebrando, & defensionem eiusdem libelli contra  
Petrum Viretum, & tres alios haereticos.*

*Responsonem Regi Septemtrionali, qui in fide Ca-  
tholica instrui voluit.*

*Militem Christianum.*

*Explicationem breuem Euangeliorum totius anni,  
sub nomine Nicolai Galerij, Coloniae Latine, &  
Brixiae Italicè excusam.*

ANTONIUS RVBEVS, natione Hispanus, patria  
Rodenfis, adolescens, vnum & viginti annos natus,  
in Complutensi Academia ex turbulentis huius se-  
culi fluctibus in nostrae Societatis portum appulsus  
est, anno salutis M. D. LXIX. Magnum hic acuti in-  
genij solidique iudicij specimen in studiis praebuit,  
atque eximios in litteris Philosophicis ac Theolo-  
gicis processus fecit. Ex quo in Indiam occidentis  
Solis profectus, in Mexicana ciuitate (quae totius  
prouinciae nouae Hispaniae Metropolis & caput est)  
Philo-

Philosophicas disciplinas docuit primùm, deinde sacram D. Thomę Theologiam vndecim annos doctè est interpretatus. Denique in Hispaniam reuersus, edidit in *Aristotelis Logicam Commentarios*, & in *libros Physicorum*, qui quidem hactenus exierunt in lucem: alios parat in reliquos Aristotelis Philosophicos libros.

ANTONIUS TORRES, siue TORRENSIS, natione Hispanus, patria ex oppido Gumiel, Burgensis Diœcesis, annum agens vicesimum secundum, est admissus in Societatem: in qua Philosophicas & Theologicas scientias didicit, & humanas feliciter docuit. Fuit vir præstanti virtute, & vite asperitate insignis. Humi super asserem diu cubuit: cilicinam vestem, ad populum verba facturus, induebat; animarum zelo ardens, homines rudes atque agrestes libentissimè erudiebat; ac bonis operibus plenus, Palentię decessit, anno salutis M. D. XCVI. ætatis verò LXII. Scripsit,

Tractatum admodum pium *De institutione Christiani hominis*, in quinque libros distributum.

ANTONIUS VELLESIUS, natione Lusitanus, Eborę studiorum Societatis Præfectus, eruditum euulgavit in *Emanuelis Aluari Grammaticam Commentarium*, exemplisque è probis auctoribus illustravit.

ARNOLDVS SOPHORIVS, natione Gallus, patria Bearnensis, in Collegio Parisiensi sacre Theologię Professor fuit, vir insigniter doctus. Scripsit,

Opus accuratum *De locis noui Testamenti* ab hæreticis nostri temporis corruptis, sed quod, morte præuentus, euulgare non potuit.